


Legatoria
Niola

Digitized by Google

OFF. PAP. A 1 (9

Digitized by Google

Digitized by Google

HERCVLANENSIVM

VOLVMINVM

QVAE SVPERSVNT

TOMVS IX.



NEAPOLI MDCCCXLVIII.

EX REGIA TYPOGRAPHIA.



Digitized by Google

FF. PAP. A 1 (9

Digitized by Google

FERDINANDO II. BORBONIO

UTRIUSQUE SICILIAE REGI

PIO FELICI AUGUSTO.

Nonus Herculanensium voluminum Tomus, munificentissime Princeps, qui Tuo Augusto Nomine insignitus nunc in publicum prodit, Philodemi περι Θανατου, *sive de morte papyrum exhibet. In hoc sane scripto licet Auctor doceat, Epicuro duce ac magistro, nihil eorum, quae post mortem contingunt, nos sentire, neque omnino nos existere; non pauca tamen reperiuntur Epicurei no-*

Digitized by Google

stri dogmata, quae severioribus celebriorum Philosophorum placitis, quales fuere Platonici et Stoici, haud indigna existimari queunt. Quare haudquaquam dubitandum videtur, quin hoc Philodemi opus Collegae nostri Antonii Octaviani opera ac studio illustratum, pluris habituri sint Eruditi Lectores. Te, Ferdinande Rex, bonarum artium et disciplinarum omnium statorem, et vindicem Deus O. M. cum optima Tua Conjuge, totaque Augusta Familia diutissime servet incolumem.

Devoti Numini, Majestatique Tuae
Academici Herculanenses.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

I. INTER praecipua effata, quibus olim Philosophorum scholae personabant, illud imprimis recenseri oportere, *mortem non esse timendam*, e veterum monumentis satis est compertum, atque exploratum. Nec mirum profecto videri debet. Cum enim priscis Sapientiae cultoribus id potissimum esset propositum, ut qua via homines beatitatem, ad quam natura feruntur, adipisci possent, docerent; simulque animadverterent, nullam posse vitae tranquillitatem, nedum felicitatem in eo reperiri, qui mortem tamquam rem malam, imo ex Aristotele των κακων φρικωδεστατον *omnium malorum maxime formidandam* exhorrescerent; hinc e mortalium animis istum metum expellere, aut certe imminuere omni ope adnitebantur. Sed et alia nec minus gravis ita agendi accedebat ratio: siquidem mortis formido apud sapientes viros veluti indecorum quid habebatur, ac rationi ipsi adversum, quae ut Val. Maximus lib. IX cap. 13 ait, *vitam diligere, mortem non timere praecepit.*

II. In hac autem re probanda diversa via incedebant veteres Philosophi. Nam qui immortales animos existimabant, ut Platonici, Stoici, aliique majori sane numero, ac piis, justisque hominibus ingentia gaudia, et praemia in futura vita pollicebantur, quemadmodum ex Platone in *Phaedone*, ex Tulliano *somnio Scipionis*, et ex Senecae *Consol. ad Martiam* prae ceteris colligere licet; ii facile quidem arguebant, haud esse pertimescendam mortem: quin etiam addebant secundum Socratem in *Gorgia* Platonis, hanc vitam, quae in terra ducitur, mortem potius appellari debere. Epicuri vero sectatores, quibus mortales esse animos placebat, quo mortis timore homines liberarent, humanam mentem una cum corpore exstingui, nullumque post obitum superesse alicujus rei sensum contendebant. Id sane luculenter ostendit notum illud Epicuri enthymema, quod ex *Ratis* ipsius *sententiis* excerptum apud Laërtium lib. X. sic legitur: ὁ θανατος ουδεν προς ἡμας · το γαρ διαλυθεν αναισθητει · το δε αναισθητουν ουδεν προς ἡμας. *Mors nihil ad nos pertinet: quod enim dissolutum est, sensu caret; quod autem sensu caret, id nihil ad nos pertinet.*

III. Porro peculiare opus *de Morte* in plures libros distributum conscripsit Epicureus Philodemus, in quo magistri vestigiis insistens demonstrare aggreditur, haud mortem flocci esse faciendam; ac non semel inculcat vita functos omni sensu carituros, imo et non amplius futuros. Ejus vero operis postremus videtur liber, quem nunc damus, litera Δ notatus, idest quartus. Verum illud dolendum, non modo hoc volumen initio carere (si excipias fragmenta, quorum plura nullum commodum sensum suppeditant); sed e viginti quoque, et una pagellis, quot scilicet volumen constat, undecim adeo mutilas, et truncas ad nos pervenisse, ut singularum vix tertia pars legi queat, aegre licet ob parvas lacunas saepius interjectas: quod vero reliquum est, vel nullam plane literam contineat, vel pauca solum elementa, vocesque hac illac dispalatas, e quibus nequaquam idoneam sententiam elicere datur. Deinde

quod ad decem alias σελιδας attinet, quamvis sint pleniores, magnas tamen lacunas sive in media, sive in ima parte exhibent; quae quidem non omnes suppleri possunt, ac propterea saepe, quid sibi Auctor voluerit, ignorare nos cogunt. Ceterum, ut isthaec vera sint, non pauca tamen sunt, nec spernenda, ut infra videbimus, quae hoc vetustatis κειμηλιον Eruditis commendant, praesertim cum in eo Philodemus nonnulla Epicuri dogmata clarius, ac fusius explicet, veramque, ac germanam illius mentem nobis aperiat.

IV. Sed ut paucis cognoscas, Lector, quaenam in isto volumine Epicurei nostri mens sit, fac plane advertas illum heic non id spectare, ut ex instituto probet mortem contemni oportere; hoc enim praestitisse prioribus libris omnino putandum est: sed totam orationem eo convertere, ut ostendat despicatui esse babenda, neque ullo pacto metuenda cetera omnia, quae ab hominibus mala ducuntur, quaeque mortem ipsam vel comitantur, vel sequuntur; cujusmodi sunt ab inimicis illudi, liberos non relinquere, extra patriam terram, aut in maris fluctibus mori, non condi splendido, magnificoque sepulcro, violentam mortem subire, atque id genus alia. Quod quidem argumentum ideo diligenter, et copiose pertractat, ut declaret non posse mortales tot molestiis, atque angoribus maceratos summum consequi bonum, seu beatitudinem, quam in voluptate, omnisque doloris vacuitate constituebant Epicuri discipuli. Deinde observat, etiamsi innumeris malis, et periculis sit humana vita obnoxia, posse nos tamen jucunde vivere, si dispulsis molestis curis, sublatoque diutissime vivendi desiderio, iis bonis, quae inter tot mala nobis suppetunt, fruamur et delectemur. Denique concludit eos, qui diuturnam cupiunt vitam, mortemque horrent, instante jam morte adeo consternari, ut desipiant, stupidique fiant; contra vero sapientes viros nil admodum perterrefactos pacate, et tranquille mortis impetum sustinere. Ex quo facile apparet hanc papyrum totius operis partem postremam, ac veluti quamdam ανακεφαλαιωσιν esse agnoscendam.

V. Ut autem, quidnam in singulis columnis Philodemus persequatur, servata ordinis ratione, dilucide exponamus; primum ille statuit, hominem qui aliquandiu vixit, remque familiarem adquisivit, summum bonum jam esse adeptum. Quod sane cum non probet, sed quasi alibi probatum ponat, veri simillimum est hoc iis plagulis demonstrasse, quae Columnam ordine primam antecedunt, quarumque fragmenta tantum exstantia id ipsum indicare videntur. Hoc constituto, subdit, postquam quis facultates suis usibus pares, et ad beate vivendum accommodatas confecit, haud illi licere ipsas in immensum augere, avaritiae explendae caussa. Totum vero id ex Magistri doctrina hausit, qui in epistola ad Moeneceum apud Laërtium cit. libro diserte ait, non vitae χρονον μηκιστον *tempus longissimum*, sed ἡδιστον *jucundissimum* optandum; et paullo post αυταρκειαν *mediocritatem*, μεγα αγαθον *bonum magnum* appellat. Idemque Laërtius hanc Epicuri sententiam refert: ὁ απειρος χρονος ισην εχει την ἡδονην, και ὁ πεπερασμενος; quam quidem ita explicat Cicero lib. 1. de Fin: *non majorem voluptatem ex infinito tempore aetatis percipi posse, quam ex hoc percipiatur, quod videmus esse finitum.*

VI. Tum cernens huic Epicuri doctrinae facile illud objici, posse hominem, qui mediocritate sit contentus, facultates acquisitas amittere, atque ita ad egestatem redigi, hoc pacto respondet: *quod si deficiet isthaec felicitas, minime deficiet ipsa bonorum communio firma, ac perpetuo statuta;* additque *eam communionem non defuisse Epicuri discipulis.* Quibus profecto verbis commendatam vult celebrem illam amicitiam, sincerique amoris conspirationem ab Epicuro inter suos asseclas institutam, qua in rebus angustis se mutuo juvabant; quemadmodum non solum hoc loco narrat Noster, mox-

Digitized by Google

que repetit Col. IX hujus voluminis; sed etiam testatur Col. XXIII libri *de vitiis, et oppositis virtutibus*, quem Tom. III. Volum. Herculan. editum habes.

VII. Heic vero ingens prohibet lacuna, quominus orationis nexum adsequamur. Sed fortasse tum Epicuri, tum aliorum exemplis demonstrat minime inter amicos bonorum communionem esse defecturam. Sub finem tamen Col. I illos reprehendit, qui valde animo anguntur, quod de sua morte gavisuri sunt inimici: id enim procul dubio eruitur ex Col. sequentis initio, ubi ita loquitur: *Sed ob ea, quae patimur, ex parte dolere fortasse venia dignum est; dolere autem, quod inimici nostra morte laetabuntur, stultum est, nec venia dignum.* Simulque rationem affert, cur de ea re dolere non sit venia dignum; quod scilicet post obitum *omnes non sentient insultantes vel inani studio.* Deinde notat, tunc profecto molestiam afferre irridentem, et insultantem inimicum, cum adversus viventem, ac sentientem ita se gerit; at subjicit id superbis accidere: quoniam *viro bono ex animi affectione nemo petulanter in eum debacchatus inimicus fieret.*

VIII. Atque heic rursus ingens lacuna, quid deinceps exsequatur Auctor, intelligere nos non sinit: nisi quod admodum fit probabile, ut e prioribus Col. III. verbis conjicere datur, eum postquam dixit neminem viro bono inimicum fieri, id ipsum deinceps argumentum latius pertractare voluisse, ut inde colligeret superbos tantum et malignos homines, qui nihil boni agere sunt parati, in vita vexari, et post mortem ludibrio haberi. Ac profecto Col. sequenti sic pergit: *Utcumque aliquid mali exercuerunt, si quis gaudeat, certe hic est quasi gaudens de illis, qui a malis sunt liberati. Nobis etiam optimo jure insultabit aliquis, eo quod bonis operibus caruimus, si quidquid est malorum omne quidem, at nihil aliud in nobis invenietur.* Tum adjicit hanc poenam scelestos manere, ut scilicet ipsis et viventibus, et mortuis insultent omnes.

IX. Sequitur inde alia non minus spatiosa lacuna, quam certe explere nisi divinando non possumus. Verum ex verbis, quae lacunam praecedunt, nimirum *molestum est multos, et bonos viros*, sat arguere licet Philodemum, postquam superbos, et maleficos ut plurimum exagitari, odioque haberi dixerit, statim subnectere viros etiam bonos aliquando ab improbis molestiis affici. Quam in rem fortasse clarorum virorum exempla profert, quos ultro adversarii insectari sunt ausi.

X. Jam porro priora Col. sequentis verba suspicionem nobis injiciunt, voluisse Epicureum nostrum extrema superiore pagina, et sequenti eos parentes, qui ob liberos immatura morte ereptos nimio dolore macerantur, primo carpere, deinde hoc argumento solari, quod illi puerilibus annis decedentes id anticipant, quod non multo post ipsis necessario sit eventurum, ac praeterea pluribus parentes liberant molestiis, quas maturiore aetate afferre possent. Quapropter prosequitur: *Et fortasse de ipsis putamus gavisuros sapientes viros, quod non amplius eos habent, a quibus in vita affici incommodis poterunt, ac perpetuo perturbari.*

XI. Postea ad eos redarguendos gradum facit, qui morituri animo se angunt, quod liberos post se non relinquant, ipsosque stultitiae esse accusandos pluribus se ostendere velle profitetur. Ac primum tradit, *non licere nobis, ut filios tueamur, in utramque aurem dormire;* hoc pacto aperte significans, multas et magnas sollicitudines secum ferre liberorum curam, a quibus mirum quantum abhorrebant Epicurei, qui in jucunda, et imperturbata vita felicitatem ponebant. Quae profecto verba ita universe de liberorum educatione prolata sat manifestum faciunt Epicuri discipulos, etsi nuptias, filio-

Digitized by Google

rumque susceptionem veluti quid αδιαφορον *indifferens* ducebant, imo eorum Magister sapienti conjugium inire, teste Laërtio cit. libro, suadebat; potiorem tamen conjugio coelibem vitam censuisse, quippe quae magnis immunis esset molestiis, quae a liberorum cura sejungi nequibant. Atque hoc modo facile conciliari posse arbitramur laudatum Laërtium cum Epicteto, et Clemente Alexandrino; quorum ille apud Arrianum lib. III. cap. 7. hic libro II. Strom. diserte tradunt, Epicurum aversari γαμον και παιδογονιαν *nuptias, et filiorum procreationem*. Sed confer, quae adnotavimus de hoc argumento in Praef. libri ejusdem Philodemi *de vitiis, et oppositis virtutibus* Tom. III. Volum. Herculan. Cur autem puerorum custodiam magnae comitentur sollicitudines, aliquas procul dubio afferre rationes necesse habuit Philodemus; sed quaenam illae fuerint, ob lacunam, quae majorem σελιδος partem occupat, omnino latet.

XII. Quae vero sequitur Columna, obscurior videtur: at valde est credibile Philosophum difficultates rectae puerorum institutionis, praesertim post parentum decessum, exaggerare, ut inde conficiat, nemini molestum esse debere, quod liberis careat. Quocirca fortunatos pueros habendos opinatur, quibus contingit, ut Epicuri, vel aliorum ejus sectae Coryphaeorum similes praeceptores nanciscantur. *Perfici*, ait, *oportet, et perdiscere eos, quibus obtigit, a ducibus, et doctoribus, quales Polyaenus, et Metrodorus, et Leonteus, et Epicurus statim ab obitu parentum: et sane secundum rationem vixerunt, quicumque secundum nostram disciplinam sunt educati.* Tum anteoccupat, quod opponi poterat, *multos imperitos, qui omnem animi impetum legibus, ac naturae congruentem sunt sortiti, magnifice cogitantibus longe praestare:* sed quid ipse subjiciat, lacuna haud sane exigua discere nos vetat. Minime tamen abs re erit opinari, eum respondere paucos admodum illos esse, qui omnis culturae, et disciplinae expertes secundum rectam rationis normam vitam degunt; longe vero plurimos, si disciplina, ac bona desit institutio, in omne vitiorum genus facillime esse prolapsuros.

XIII. Nec minus difficilis est paginae VI. interpretatio: sed fortasse cuncta planiora evadent, si hujus sententia cum superiore copuletur, ut nempe asserat Philodemus e liberis prave educatis, ac male moratis magnum dolorem capere patres morientes, dum verentur ne relictis opibus male utentes, negligant quae et cujusque officium, et testantium voluntas jure postulant. Quod quidem confirmare videtur auctoritate vel Epicuri, vel alterius scriptoris, cujus nomen in proxima lacuna delitescit; quamvis non omittat observare isthaec nil ad parentes pertinere, utpote quae post eorum interitum eveniant. En Nostri verba: *Anguntur parentes liberis perficientibus ex iis, quae ante diximus, vel nonnulla quae voluerunt, vel nulla; quae quidem nihilo magis ad nos pertinent, quam ad eos, qui sub Phoroneo nati sunt. Quamquam in hac re molestum, omnes secundum id quod dicit* (forsitan Epicurus) *filios heredes circa haec inique agere.* Hinc statim addit, *non oportere ut plurimum liberis aliud, quam nominis dignitatem relinquere; atque istos neque bonos, neque malos heredes esse dicendos, si tantum custodienda accipiant bona, quae viris bonis, et amicis sunt relicta*, idest si sint tantummodo heredes fiduciarii, sicuti eos appellabant Romani. Ubi profecto duo notanda occurrunt: alterum, Philodemi aevo homines omnium vetustissimos vulgo dici consuevisse *sub Phoroneo natos*, videlicet sumto hoc loquendi genere ab antiquissimo illo Rege, qui ab aliis Inachi filius, ab aliis hujus pater, et primus in Graecia regnasse traditur (vide veteres Mythographos, et prae ceteris Hyginum fab. 124 et 143): quod sane adagium uni Epicureo nostro debemus, cum apud adagiorum Collectores minime inveniatur. Alterum vero

Digitized by Google

est, heic Auctorem parentes hortari, qui liberos ingratos, et improbos habent, iis ut viros probos, et amicos gratos in testamenti tabulis anteferant: id saltem vero similius ex mutilo textu expiscari licuit.

XIV. Vasta inde se offert lacuna, quae, ut credere par est, rationes occultat, quibus probare conatur Noster, saepe praestare, liberis posthabitis, hereditatem ad amicos deferre. Videtur tamen imam paginam insequenti adnecteus innuere velle praeter ea, quae supra dicta sunt, aliam suppetere caussam, cur dolere minime debeat, qui liberis est orbatus; quod nempe longe magis moerere, atque angi illos necesse est, qui morientes filios relinquere coguntur, praesertim si vitae commoditatibus careant, quibus, se vivis, ii fruebantur. Etenim sic pergit: *Valde pungit illis commodis spoliatam* (filiam, vel uxorem) *obviis projicere. Igitur relinquere parentes, vel filios, vel uxorem, vel alios quosdam cognatos homines futurum est in malis ob interitum nostrum, et rerum necessariarum defectum: haec certe maxime naturalem dolorem afferunt, et uberes lacrymas eliciunt homini sapienti solum, aut illi potissimum. Tanto autem tempore, quanto defecturo esse credit necessaria, risum constantem, et magnum utique non liceret comparare.* Nec porro negotium facessit, quod heic Noster docet, futuram filiorum egestatem *uberes lacrymas sapienti elicere*, quasi ista sententia a philosophi gravitate abhorreat, et sit forti viro indigna. Nam in memoriam est revocandum illud Epicuri apud Laërtium placitum, *και λυπηθησεσθαι τον σοφον sapientem moerore affectum iri:* quo sane dissidere se ostendit a Stoicis, qui απαθειαν, sive *indolentiam* omnino in Sapiente requirebant. Neque omittendum, quod scribit Plutarchus lib. II. adv. Colot. Epicureos *non assentiri iis, qui in amicorum morte prohibent moerorem, lacrymas, suspiria, gemitusque; ac dicere*, *την εις το απαθες καθιστωσαν αλυπιαν ἀφ' ἑτερου κακου μειζονος ὑπαρχειν, ωμοτητος, και δοξοκοπιας· illam doloris detractionem, quae affectuum expertem reddat, ab alio majore malo proficisci, immanitate scilicet, et ambitione.*

XV. Tum lacuna abrumpitur sensus: at nil impedit, quominus opinemur Philodemum deinde graphice describere, quam triste liberis, ac miserum sit, mortuo patre, angustam pauperiem pati, alienaque misericordia vivere. Extrema vero lacunae parte ea visuntur verba, licet mutila, e quibus adparet Auctorem dementes eos putare, qui in externas regiones migrare, relicta patria, nolunt ob id maxime, ne sua ossa in terra jaceant aliena. *Etenim*, infra inquit, *et philologus, et sophistes vel parentes, vel propinquos, sed et patriae commoda deserunt, praesertim dum in ea honeste vivunt, non sic tamen, ut tristitiam, et hanc magnam secum ferant subeuntes taedia sequentia in vita ex peregrinatione. Considerandum est in praesenti hanc mortem nobis non nocere, quippe cum non faciat, ut ossa nostra jacere in terra aliena sentiamus.* Atque id subdit: *Deinde ob idipsum utile non est in extera regione mori, neque ob hanc caussam, quod tam magnam assequantur existimationem in exsilium ejecti.* Ceterum istae Epicureorum ratiunculae nihil admodum apud veteres valere poterant, qui vulgo animorum immortalitatem agnoscentes, domi, atque in patria terra, quam in externis locis mori malebant, ne in ignota terra extremis pietatis officiis privarentur, quod eruitur aperte ex Cic. lib. IV. epist. 7. et Virg. IX. Aeneidos. Hinc peregre morientium cineres in urnis conditos domum referri consuevisse pluribus Scriptorum testimoniis probat Meursius lib. de Fun. cap. 39.

XVI. Alia hoc loco lacuna major σελιδος pars obtegitur. Quare ut certus orationis nexus, quantum in nobis est, reperiatur, fas est conjicere Philodemum, quo facilius eos, qui ob peregrinationis incommoda, et calamitates patrium solum mutare horrebant, de sua deduceret sententia, heic commemorasse,

Digitized by Google

quam liberaliter, et humane peregrinantes, maximeque literati homines ubique terrarum a philosophiae, et literarum cultoribus excipi, ac tractari solerent. Quod etiam notissimo facto Simonidis, et sui ipsius exemplo, qui e Syria Romam se contulit, illustrare potuit. Sat probabile id efficitur ex summis laudibus, quibus paullo post effertur beneficentiae studium, quo sibi mutuo philosophi, imprimisque Epicuri discipuli opitulabantur. Haec enim verba sequuntur: *Inter philosophos sic Epicurus statuit. Quapropter splendidiorem obtinuit gloriam, ut et his, et Leonteo, et Metrodoro, qui sibi invicem ministrabant, et omnes Epicuro ministrabant; tum Hermarcho exornanti* (Epicuri sepulcrum), *et ejus cineribus adsidenti omnis homo se benevolum fateri velit.* Et sane, quod ad hanc rem pertinet, mira sunt, quae praeter alios praedicant Cicero lib. I. de Fin. et Valerius Max. lib. I. cap. 8. de amicitiae, et humanitatis juribus, quae inter se religiose exercebant, et colebant Epicuri sectatores. Subjicit deinde Noster, *idem se posse probare gradum ad Fabulas faciendo, nisi eas omittentem ad scopum ab ipsis propositum transire oporteret.* Quibus verbis procul dubio significare voluit firmam illam, ac perpetuam societatem, concordiamque, quam in tribus amicorum paribus, Theseo et Pirithoo, Achille et Patroclo, Oreste et Pylade eluxisse priscae fabulae prodiderunt.

XVII. Atque heic rursus magna lacuna intercipitur sensus. Verum paucae voces adhuc superstites, idest *αδιαληψιαν desidiam*, et mox *ισην ειναι aequalem esse* facile nos adducunt, ut credamus Nostrum ex laudibus Epicuro, eiusque discipulis paullo ante tributis occasionem arripere Stoicos refellendi; qui quidem ex Zenonis placito omnes cives ad Rempublicam capessendam adhortantes, Epicuri illud effatum, *ουδε πολιτευσεσθαι σοφον ad Rempublicam minime accessurum Sapientem*, insigniter notabant, quasi is prae vita otiosa, et voluptatibus referta patriae utilitates nihili aestimaret. Quin et alii cum Stoicis philosophi caritatem in patriam oratorio more amplificantes affirmabant iis solum, qui magna pro patria gessissent, maximeque si mortem pro ea oppetere non dubitassent, definitum esse in Caelo locum, ubi sempiterno aevo fruerentur. Adisis Tullianum *Scipionis somnium*, et quae ibi commentatur Macrobius. Ex quo fiebat, ut qui Rempublicam procurare aut nolebant, aut non poterant, morti propiores valde de tantae beatitudinis jactura angerentur. Itaque Philodemus, ut omnem morientium sollicitudinem, atque anxietatem abstergeret, pariterque Stoicorum, aliorumque philosophorum doctrinam refutaret, contendit cunctos homines sine ullo discrimine post obitum omnino sensus expertes futuros. Quocirca ita argumentatur: *Existimare vero cymba transvectum ad lacum sedere, et in prato* (apud inferos), *sed minime eum, qui magna gessit, et digna quae posteris tradantur, sicut solent nonnulli tragice pronunciare, summa quaedam dementia est. Eodem enim jure in domo Ditis sunt honoratiores, ut Achilles prae omnibus, qui in terra invisa* (apud Trojam) *obierunt, ac ii qui propter otium, et inertiam sunt ignoti: neque unquam refutare licet absolutam sensus privationem in vita functis hominibus; et propterea damnare oportet vulneratos stulte dicentes se optare*, in terra levi sua ossa jacere. *Quare nullo in discrimine vir habet sapiens omnes mortis caussas sensus, et doloris vacuitatem aeque afferentes, praeter eas, quae per aliquantum temporis hominibus molestiam reprehensione dignam, et dolorem, et taedia pariunt; neque majores animo reputat volentes in bello mori, si cum eo comparat, qui similibus utilitatibus civitatem afficit.*

XVIII. Sed antequam ulterius progrediamur, duo in hac argumentatione advertenda videntur. Ac primo, ut mittamus το εσσομενοισι πυθεσθαι Homeri-

eam esse Φρασιν (quod vel nobis tacentibus quisque videt), verba *γαια λιπη ἱζιν μενεαινων* sat superque ostendunt, esse alicujus Poëtae hemistichium: at quisnam sit ejus auctor, nos plane fugit. Deinde ii, quos Noster aeque patriae vult prodesse, atque in bello cadentes, procul dubio philosophi sunt intelligendi, quorum doctrina, et exemplis homines ad virtutem instituebantur. Hinc ipse Seneca, quamvis Stoicorum sectae addictus, haud diffitetur lib. de Vita Beata cap. 31: *Zenonem, et Chrysippum majora gessisse, quam si duxissent exercitus, gessissent honores, leges tulissent.*

XIX. Cum igitur dixisset Philodemus, etiam in bello pro patria occumbentes, non modo ceteros homines, post mortem sensu vacuos futuros, nec majori in honore illos prae aliis habendos, mox subjecit: *bellantium opera molestiae pleniora sunt, quam quietis; et hi parum absunt a morte, et saepe neque sinceras, neque majores quibusdam operibus voluptates afferunt, quantumvis sibi videantur efficere, quod magnum aliquid posteris videri possit.* Quo sane pacto rerum militarium gloriam extenuare, et elevare conatur: imo potius affirmat, *nulli prorsus decori, atque ornamento eas fore, si sine ullo commodo, ac patriae utilitate milites tantummodo in acie pereant* (ita nimirum supplemus parvam lacunam, quae in extrema est pagina).

XX. Postea suae aetatis homines vulgo existimantes Epicurum, atque alios philosophorum primores, qui totos se ad scribendum, et docendum conferentes a republica procuranda se abstinuerunt, non magnum aliquid fecisse, perinde errare, ac decipi observat, ac si illos tantum duces, qui in praelio ceciderunt, minime vero Themistoclem, et Periclem, qui morbo sunt mortui, illustre quid gessisse posteri putarent. *Mirandum vero*, inquit, *quod eos modo, qui in acie cadunt, nobile quid egisse posteri arbitrentur; minime vero Themistoclem, quem morbo decessisse scribit Thucydides, et Periclem, aliosque viros claros quamplurimos. Nec minus mirum, si Epicurum, et Metrodorum, qui secundum naturam vixerunt, sed et alios philosophorum principes haud magnum aliquod fecisse sibi persuadeant omnes nostrae aetatis homines etiam sapientes.*

XXI. Magna porro interjacet lacuna, eaque ad extremum usque paginae pertingit. Attamen ex iis, quae sequuntur, videtur noster philosophus gradum facere ad eos castigandos, qui morituri vehementer dolebant, quod in funeris apparationem, et in monumenti aedificationem magnam vim pecuniae impendere non valerent. Is merito hanc nimiam curam, ac sollicitudinem ridet, notatque stulte agere et qui magnificentissimam exsequiarum pompam imperant, et qui illas comitantur. Nam ait: *Omnes simul cum obesioribus exiguo tempore ossium tantum compages fiunt, et tandem in prima resolvuntur elementa. Rebus autem jam dictis congruentia et de carnis fluxione, et de foeda corporis immutatione subjicienda sunt. Vanissimum est igitur animo aliquem angi, propterea quod sibi non sumtuosum, et magnificum, sed humile, ac vile monumentum excitarit. Id enim est veluti existimantium se permansuros his quidem sepulcris splendidos, illis vero vulgares, aliis rursus illustres: quod profecto idcirco in mentem venit, quia turpiter obliti sunt omnes prorsus sensu carere, potius non esse.*

XXII. Postea alia lacuna orationis seriem abrumpit: nisi credere velimus nostrum philosophum post allata verba statim reprehendere eos legum conditores, aut politices Scriptores, qui infinitos sumtus in sepulturis aut commendarunt, aut certe non improbarunt. Sed praecipue carpere videtur Platonem (quem *ευημερον beatum* appellat, ob fastum fortasse, cujus etiam gratia dicitur Epicurus, teste Laërtio lib. X. eumdem *χρυσουν aureum* nuncupasse),

quod scilicet pecuniosos homines sibi magnificum pro facultatibus sepulcrum ponentes laudare non dubitarit. Locus viri summi, quem Philodemus respicit, legitur ita lib. IV. de Leg. sub finem: *Εγω δε ει μεν γυνη διαφερουσα ειη πλουτῳ, και θαπτειν αὐτην διακελευοιτο, εν τῳ ποιηματι τον ὑπερβαλλοντα αν ταφον επαινοιην· Φειδωλος δ' αυτις, και πενης ανηρ τον καταδεα· μετρον δε ουσιας κεκτημενος, και μετριος αυτος ων τον αυτον αν επαινεσοι· ego vero si uxor mihi ditissima esset, juberetque me eam sepelire, magnificentissimam sepulturam in opere ipso commendarem; parcus contra et inops imperfectam; qui vero mediocriter dives esset, et ipse quoque moderatus mediocrem sepulturam commendaret.* Quamquam haud sane inficiandum est et ipsum Academicorum parentem lib. XII. de Leg. modum sapienter in hujusmodi re praescribere: etenim ditioribus, ac potentioribus tantum quinque minas in sepulturam impendere concedit; quae quidem summa modica censeri debet, si cum immensis Romanorum sumtibus conferatur.

XXIII. Tum illos legum Latores laudibus ornat, qui immodicas sepulcrorum impensas suis statutis coërcuerunt, sic loquens: *Videntur ex legum conditoribus ii recte, et secundum naturam statuisse, qui in sepulcra patrimonium effundere vetuerunt, eo quod plures viventes commoditatibus priventur, dum in hanc invidiam opes dissipare jubent.* His vero verbis innuere videtur eam Atheniensium legem, qua cautum fuit, testante Cicerone lib. II. de Legibus, ne sepulcrum ullum operosius poneretur, quam quod triduo decem homines facerent: nec non illam Syllae rogationem, cujus Plutarchus in ejus vita, et Cicero ad Att. lib. XII. meminerunt, quaque constituta poëna fuit, ut qui plus in monumentum insumsisset, quam esset lege concessum, tantumdem populo daret. Ceterum vix credi potest, quonsque processerit in funerum impensis veterum, ac praesertim Romanorum luxus; de quo plura collegerunt Meursius lib. de Fun. cap. 44, aliique rerum antiquarum illustratores.

XXIV. Iam vero verba isthaec sequuntur: *videntur autem ii ex plebejis hominibus, qui sunt elegantiores,* quae statim alia nec modica excipit lacuna. Ex quo arguimus Nostrum vulgarium quoque hominum ambitionem, ac fastum suggillare, qui et ipsi nobilium, atque illustrium virorum in sepulcris sibi parandis magnificentiam aemulari studebant.

XXV. Mox probare nititur nemini dolendum, quicumque metuat, ne vel casu aliquo, vel hominum malitia sepulturae honore fraudetur, tum quia nulla est habenda eorum ratio, quae post mortem fiunt; tum quod haud facile eveniet, ut maledictis, probrosisque verbis ob sepulturae privationem vexemur: idque quamplurimorum ditiorum, ac Dynastarum tuetur exemplis, quos insepultos nemo sapiens irrisit, atque exagitavit. Pergit enim: *Haud dolendum de iis, quae post mortem accidunt. Cum autem quis recte vixerit, et amicis se ipso dignis usus fuerit, si fortuna, vel hominum improbitas obtinere* (sepulcrum) *prohibuerit, ne minimo quidem afficietur moerore, se non futurum secum ipse reputans: cui enim id evenit, is tristitiam non capit, sed contraria omnia fiunt. Nam non accidit, ut illum aliqui vituperent, vel vexent: siquidem nemini recte cogitantium simile quid contingit: eorum autem, quae contingunt* (post mortem) *nulla in vita ratio est habenda, quia eo tempore neque illa sentimus, neque omnino sumus. Sed et sexcenti viri nobiles, et divites, ac Dynastae sepulcro caruerunt; et nemo sapiens illos culpat, et exagitat.* Huc usque Philodemus; qua profecto in re Magistro suo omnino consentit, cujus inter alia de Sapiente hoc memoratur apud Laërtium effatum: ουδε ταφης φροντιειν, *non fore de sui sepultura sollicitum.*

XXVI. Porro ad calcem columnae illos damnat, qui in medio mari, aut fluvio mori horrent, ac demonstrare studet hujusmodi mortem nil ad nos pertinere, quippe cum idem sit undis marinis exedi, ac si vel tineis et vermibus, vel igne quis absumatur. Hinc stultitiae quemdam Poëtam arcessit, cujus verba, tacito nomine, recitat, quod existimare videtur magis calamitosum mediis in pelagi fluctibus perire, quam in balneo a familiaribus suffocari. Tum adjicit, absurde loqui Ulyssem apud Homerum (lib. V. Odyss.) cum procella ingruente beatos vocans Danaos, qui ad Trojam occubuerunt in praelio, sibi destinatum queritur tristi morte perire; eumque praeterea vituperat, quasi sic dicendo infelices etiam illos putet, qui in maritimis praeliis pro patria ceciderunt. Sed praestat ipsum ratiocinantem audire. *Inane est mortem in mari horrere magis, quam mortem in lacu, et in flumine; rursus vero hanc magis, quam in puteo. Nam quod humor mortuum corrumpat, haud est deterius, quam si vel terra obrutus tineis et vermibus, vel super terra jacens igne absumatur: cum enim neque illorum, neque horum sit corpori sensus, quid discriminis esse oportet? Stulte vero etiam quidam de pelago exaggerando ait:* Et Libyco in mari undis absorberi magis me angeret, quam a quatuor familiaribus suffocari; *quando scilicet sit in balneo. At quo pacto non absurde Ulysses dicens:*

O ter beati Danai, et quater, qui tunc periere
Troja in lata Atridis gratificantes.
Utinam et ego mortuus essem..........
Nunc vero tristi morte destinatum est me obire;

quo pacto, inquam, non absurde illos infelices existimabat, qui in maritimis praeliis pro patria interierunt, ut eos, qui apud Artemisium, et Salamina, atque eos, qui deinceps, et nostra aetate haec passi sunt?

XXVII. Quae hoc loco docet philosophus, omnia prorsus sunt clara, nec ullam patiuntur difficultatem. Id modo notatu dignum, veteres teterrimam, atque horribilissimam mortem in mari duxisse, ea quidem de caussa, quod ita cadavera a sepultura arcebantur. Quare Vegetius lib. IV. cap. 44: *Inter tanta*, inquit, *mortium genera, qui acerrimus est casus, absumenda piscibus insepulta sunt corpora.* Περιθρυλλητον quoque est illud Ovidii lib. 1. Trist. Eleg. 2:

Demite naufragium: mors mihi munus erit.

Neque est silentio praetereundum, quod ad VI. Aen. testatur Servius, veteres nempe in ea fuisse opinione, ut crederent mortem in mari animum simul cum corpore exstinguere. At quicquid de hac re sit, mirari haud certe debemus, horribiliorem mortem in mari, quam in lacu, aut in fluvio fuisse visam: etenim multo aegrius qui in mari, quam qui in lacu, aut fluvio periissent, sepeliri poterant.

XXVIII. Comparans inde naufragorum mortem cum violenta, et inopina, docet illam prae hac magis esse tolerabilem, quippe cum naufragium passi ultro se maris periculis objecerint. Et quamvis ex Epicuri doctrina asserat haud necesse esse, ut mortem violentam, et injustam laeto, ac prorsus imperturbato animo subeamus, quemadmodum Stoicis placebat; praecipit tamen ut postquam dolori naturali paullisper paruerimus, hujusmodi mortem generose, ac fortiter feramus. *Iis vero*, ait, *qui in infortunium incidunt inviti, nec opinantes, nil reliquum est, quam ut ex moriendi necessitate vehementiores dolores capiant; siquidem non possunt, quibus id accidit, aequo animo perferre. Nonnullis videbitur posse eum moerere, qui morte multatus est judicum sententiis, vel a Dynasta, sicuti Palamedes, et Socrates, et Callisthenes; ut profecto ea negligat, quae valde a ratione abhor-*

rentia, et rarissima de sapientibus viris narrantur, non quod ad id impellens quidquam efficiunt, sed neque commune quid suppeditant. Quoniam vero istud non est ex eorum numero, quae fieri nequeunt, imo potius est eorum unum, quae non sunt perfecta (idest secundum naturam); *nullum quidem dolorem sentire non est facile, modice vero turbatum calamitatem fortiter perferre ob has licet rationes.*

XXIX. Mox nonnullas suggerit rationes philosophus, ob quas qui mortis supplicium est subiturus, moerore posito, eam neque iniquo animo ferat, nec infelicem existimet. Nimirum sic persequitur: *Cum sane quis criminibus probrosis a populo, vel Dynasta damnatus mortem subeat, infelix quidem est: sed qui talia scientes ei viventi obviam fierent, numquid ipsum miserarentur, an potius ob infamiam fugerent? At cum, qui bene vixit, nulla alia ex re accusetur, nisi ex invidia, et calumnia, et malorum hominum perversitate; hac de caussa necesse erit illum multos, si accedant, eo magis miserari, quo magis ipsum odio habere adversarios vident: is autem post mortem erit omnibus carus, cunctisque suae aetatis hominibus anteferetur. Nec porro mortis genus veluti infame, et aerumnosum, ut aliquis, reputabit, seu quod viri existimatione digni eum* (in eodem mortis genere) *antecesserint, vel quod neque omnes, neque multi sint ejus opinionis, seu quod omnes intelligant, qua de caussa veniam haud est assecutus, ac vitam ejus inculpatam, et beatam putent, et ipsum adversariis superiorem factum, apud quos offendit: quae quidem cogitatio minime eum sollicitum reddit de judicio.*

XXX. Sed nihil sane aptius, atque ad leniendum dolorem opportuuius Philodemo videtur, quam quod subjungit, perditos nempe homines, et bonorum insectatores conscientiae stimulis fore perpetuo cruciandos, et fortasse ab aliis asperius plectendos. Quin et miratur opinari quosdam, nefarios homines, atque innocentium oppressores posse sine ulla miseriarum perpessione jucundam semper, ac fortunatam degere vitam. Atque in hac re mirifice cum Epicuro suo consentit, cujus una ex *Ratis Sententiis* haec erat: *ὁ δικαιος αταρακτοτατος · ὁδ' αδικος πλειστης ταραχης γεμων · justus est a perturbatione maxime immunis; injustus vero perturbationis plenissimus.* Vide Laërtium citato lib. X. Quamquam et alios philosophos in idem conspirare fatendum est; quemadmodum ex Platone lib. II. de Leg. et I. de Republ. ex Seneca epist. 97. atque ex Stobaeo Serm. 9. abunde constat. Idque ipsum, ut de Palamede nihil dicam, satis comprobare poterat infortunatus exitus, quem interfectores Socratis, et Callisthenis, quos supra morti injustae addictos dixerat, habuisse ex priscis monumentis adparet. Verba autem Philodemi isthaec sunt. *Si vero et viros clarissimos animo proponat, qui in invidiam, et calumniam inciderunt apud populos, et apud Dynastas, sub Tyrannis autem et Optimates maxime, ipsosque Reges sub Regibus; sibi persuadet, homines injuriam inferentes toto vitae cursu ipsa sua improbitate plecti, et pluribus conscientiae stimulis fore torquendos, ac fortasse ab aliis acrius puniendos. Porro ego minor, quod qui acerbissimam rem opinantur condemnari praesertim ab hominibus non bonis, sed pessimis, seu potius belluis, ii beate vixisse, ac deinde victuros homines perditissimos a calumniis absolutos, seu neutiquam calumniis obnoxios apud tales putant. Inde vero arbitrantur etiam infelicem esse prudentissimorum virorum vitam, atque hos in calamitates apud tales incurrere, cum idem sibi ipsi eventurum suspicentur, quoniam fortunae est opus.*

XXXI. Ex his vero, quae jam dicta sunt, colligit Noster, posse talia homines virtute praeditos generose tolerare; neque id esse humanis viribus

majus, cunctorum nempe bonorum spoliationem, aut aliam atrociorem injuriam aequo animo ferre. Neque omittit hunc de invicta injuriarum patientia locum notissimis Socratis, Zenonis Eleatae, et Anaxarchi factis illustrare; quibus ait *alios e philosophis esse inferiores*, *alios dissimiles*. Qua quoque in re ne latum quidem unguem, ut ajunt, ab Epicuri doctrina deflectit, cui tribuitur a Laërtio celebre illud: βλαβας εξ ανθρωπων η δια μισος, η δια φθονον, η δια καταφρονησιν γινεσθαι, ὡν τον σοφον λογισμῳ περιγινεσθαι· *injurias ab hominibus prae ipsorum aut odio, aut invidia, aut despicientia inferri: illas autem sapientem rationis ope contemnere.*

XXXII. Sermonem deinde alio Auctor transferens, demonstrare conatur inepte, ac stulte homines angi, quod nullam sui post mortem memoriam relinquant, quia fortasse rempublicam nunquam capessiverint, neque aliquid illustre domi militiaeque gesserint, quibus fere solis rebus nominis celebritatem comparari vulgo veteres arbitrabantur. Ac profecto ejus praeceptor Epicurus, uti a Laërtio accepimus, docuit Sapientem ευδοξιας επι τοσουτον προνοησεσθαι, εφ' όσον μη καταφρονησεσθαι, idest *bonae famae eatenus curam adhibiturum, quatenus non sit despectui.* Ut igitur morientibus aliquod doloris levamentum afferat Philodemus, monet nominis memoriam, tantisper dum vivimus, nostra interesse, atque omnia, quae in vita accidunt, ea peracta, nihil ad nos pertinere. Praeterea ostendit humanam vitam pluribus casibus seu prosperis, seu adversis quodammodo conflari, e quibus necessario sequitur, ut nostrum post obitum memoria servetur: nec iis se assentiri fatetur, qui ob secundam modo fortunam, non vero ob adversam homines celebrari autumabant. *Necessarii*, inquit, *sunt nobis casus non ipsorum caussa, sed propter vitam, quae aliter non haberetur vita, cum ita natura comparata sit, ut sit eorum comes. Quare simul ac illa finem habuerit, quod nihil ad nos spectat, neque cogitatur, id nobis curae erit. Illi autem existimare videntur, acerbum sane esse nullam sui post mortem memoriam relinquere, cum ad hanc incuriam, ac negligentiam non sunt in vita ab hominibus impulsi. Sed et nugantur aliquo pacto, cum fortunatum putant ob ea celebrari, quae ab hominibus in admiratione habentur, vel ob aerumnas, quae illa sequuntur. Alii eorum bonorum tantum commemorationem laudant, quibus aliquis est potitus; at ob infortunia nequaquam memorari plurimos contendunt. Itaque existimare oportet; eos, quibus nonnullis bonis spoliari obtigit, eodem tempore memoria dignos esse habitos, ut Anarchum, et omnes viros principes: siquidem nemo non per sermonem haec evulgavit. Nec porro facere possumus, quin statuamus omnes, qui nati sunt, et nascentur in Orbe, ea pati, ob quae quis memoratur, nec est in tristi vita ignotus, adeout cogitent cuncti posteri discere, quo pacto quisque vixerit: at non est opportunum tempus in miserae hujus vitae mala inquirendi. Oportet vero disputare, cur infamia laborans adhuc possit aliqua in re non dolere, convenienter rebus dictis et de violenter morientibus, et de eo, qui ploraturos, ac desideraturos se non relinquere queritur.*

XXXIII. Postea in extrema columna parva cernitur lacuna; quo quidem in spatio, uti sequentia declarant, videtur Philodemus de quodam Dynasta verba facere, quem sic turpiter loquentem induxerat poëta aliquis dramaticus, ut primo se maximo dolore affectum iri diceret, nisi urbem amissam bello recuperare posset, deinde si ea recepta statim moreretur. Hunc autem nimium vitae amorem, mortisque metum veluti homine sapiente indignum carpit Noster. Et re sane vera, ut ipse mox observat, *ex his quae omnium maxime dolorem afferre dicta sunt, nihil nos cogit, ut prorsus tristitia conficiamur.*

Digitized by Google

XXXIV. Tum quo ostendat nullis praesidiis se armare hominem posse adversus mortem, haec addit: *Omnis homo Gigantibus quamvis robustior infirmus est quod ad vitam, et mortem: et non modo incertum est crastinum, sed etiam praesens tempus. Nos enim omnes immunitam urbem contra mortem habitamus: et cuncta rebus mortem efficientibus sunt plena ob physicam constitutionem nostram, qui sumus ita infirmi, et ob obsonia expeditissimas ad dyspnoeam vias habentia, et ob aërem ambientem. Et simul cum fortuito casu nostri judicii vix dici possunt pericula ex nostro genere, et saepe alia ex hominum malitia, alia ex stultitia; atque haec etiam inter duos tantum sunt. Quisque enim plurima mala ingruentia habet, sed bona non alia nisi imperfecta: ut novum videatur, ac mirum, cum tot periculis quis sit objectus, si aliquo tempore perduret: nam eum usque ad senectutem permansurum est maxime prodigiosum.*

XXXV. Occasione deinde data, illos notandos suscipit, qui longissimum sibi aevum pollicentes, et, ut ipse loquitur, *humanae vitae insultantes* constituunt plures annos Athenis discendi studio commorari, plures vero per Graeciam, et barbaras regiones peregrinari; inde vero post reditum in patriam reliquos cum amicis domi transigere: etenim isti non intelligunt *mortem repente advenire, longasque spes adimere*. Quapropter finem jam toti operi impositurus, sapientem monet, qui aliquandiu vixit, ne spem longioris vitae animo concipiat, neve patrimonium augere studeat: sin vero isthaec non exoptata casu adipiscatur, lucro apponat, fortunaeque gratias agat. Additque tristes curas, et molestias vitandas prorsus esse; impedimento enim sunt, quominus beate vivamus, quin et breviorem vitam efficiunt. Sed verba ipsa recitemus. *Itaque*, ait, *vir sapiens accipiens quod ad meliorem vitam idoneum sufficit, lucro apponat, et quasi jam sepulcro conditus, haud animo concipiat vel unam aliam diem vivere; quemadmodum sempiternitas talis permanet, ut demta una die, non propterea aliquid desit. Sin vero hunc vitae longitudo sequatur, non idcirco vilis auri augmentum postulet; sed si acceperit praeter expectationem, beatitatem nactus est, et ob id fortunae gratias agere oportet. Quare dico, hac felicitate pauciorum exsistente, nihil eam a mortalitate, et fato distare: sed ubi isti sunt mortui, minime falsi redarguerunt eum, qui miram rem esse ait senem gubernatorem. Oportet autem fortunam spectare, deinde et communem vitae conditionem. Verum pestiferis curis praevalentibus hanc non sperat; imo potius nec immortalitatem secundum non interruptum cursum liberam dimittere posset; ut ex eo patet, qui eodem tempore plantare coepit, et duobus aereis nummulis aedificiorum jacere fundamenta, quae quidem aedificia millesimo post anno perfici possunt. Sane has molestias animi perferre nonne quis diceret idem esse, ac putare vasa vitrea, et fictilia collisa pluries adamantinis integra permanere?*

XXXVI. Hactenus Philodemus, qui Epicureorum more nimio plus exaggerare videtur incommoda, ac damna, quae per molestas, atrasque curas hominum sanitati importari solent. Sed haec utpote illius sectae placitis congruentia facile ei condonare possumus. Illud vero minime ferendum arbitramur, quod Scriptorum, quorum testimonia ad sua dicta confirmanda citat, nomina reticere in more habet. Quod non solum superioribus columnis, uti jam notavimus, sed hac quoque pagina fecit, ubi ejus meminit, qui *quoddam miraculum esse* dicebat *senem gubernatorem*. Attamen excusari posse videtur Philodemus, si attendamus, veterum testimonia ab ipso laudata eo, quo scribebat tempore, eruditorum vulgo notissima fuisse.

Digitized by Google

XXXVII. Tandem totam hanc disputationem concludens, docet quam varie afficiantur, instante morte, et qui eam formidare consueverunt, et qui contemnere didicerunt. Illos enim ait tristi nuncio adeo exanimari, et consternari, ut veluti mentis impotes facti ne testamenti quidem tabulas confici patiantur, atque hoc pacto innumeris litibus, et controversiis forensibus viam aperiant; sive ut lepide simul, et emphatice loquitur Democritus δικαιμφοριν, *forum satiare* cogantur. Contra vero homines sapientes, cum morti sunt propiores, coram amicis ipsos convenientibus, de omnibus, quae in vita honeste ac laudabiliter egerunt, disserentes, tranquillo atque imperturbato animo vitae finem expectant. En postrema ejus verba: *Cum manifeste ipsa* (mors) *incurrit, vel inopinato iis accidit, omni ex caussa nec testamenta scribi patientes, stupidi fiunt, et forum satiare coguntur secundum Democritum. At viri sapientes quanam de caussa amentes fierent, eo quod celeriter vitae terminus adventaret? Cum in conspectum venit* (mors), *mirifice ignorantibus haec enarrantes, se ex omnibus nullos habere inimicos, et sibi injurias vexationesque latere, seque laboribus, atque operibus sic indefesse, sic alacriter instare, neque ulla demum tam longo tempore reprehensione dignos fuisse; mortis impetum sustinerent.*

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

ΦΙΛΟΔΗΜΟΥ
ΠΕΡΙΘΑΝΑΤΟ..
Δ̄

Λ
ΗΔ

CE ЄCЄKA
TONΔЄK OKTΩ

ΔΙC



Gio. Casanova dis. e inc.

Digitized by Google

ΦΙΛΟΔΗΜΟΥ

ΠΕΡΙ ΘΑΝΑΤΟΥ

PHILODEMI

DE MORTE.

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

ΝΤΑ ... ΩΙΓΕΝ ... ΛΕΝΩΙΚΑΙΠΟΣ ... Ν
ΧΡΟΝΟ ... ΖΗΣΑΝΤ ... ΤΟΜΕΓΙΣΤΟΝΑ ... Α
ΘΟΝΑ ... ΝΗΤΤΑΙ Τ ... ΣΔΕΚΑΤΑΤΗΝΙΣΟ
ΤΗΤΑΑΥΤ ... ΥΚΑΙΤΗΝΟΜΟΕΙΔΕΙΑΝΠΟΡΕΙ
ΑΣΓΙΝΟΜΕ ... ΕΩ ... ΙΣΑΠΕΙΡΟΝΕΙΔΥΝΑ
ΤΟΝΕΙΗΡ ... ΖΕΙΝΟΙΚΕΙΟΝΕΣΤΙΝΑΝ
ΔΕΠΑΡΑΓ ... ΗΤΑΥΤΗΣΜΕΝΕΥΔΑΙΜ
ΝΙΑΣΑΦΑΙΡ ... ΣΟΥΓΙΝΕΤΑΙΤΗΣΓΕΓΟΝΥΙΑΣ
Κ ... ΛΥΣ ... ΔΕΤΗΣΕΤΙΜΕΤΟΥΣΙΑΣΑΥΤΗΣ
ΑΛΛΟΥΣ ... ΕΠΕΙΝΑΙΤΑΥΤΗΝΕ
ΠΑΙΣΘΙ ... Ν ΚΑΙΜΗΤ ... ΔΩΡ
ΕΠΙΚΟΥ ... ΡΟΕΙΧΕ
ΕΤ ... ΛΕΙΟΝΑ ... ΤΙΒΙΩ
ΧΑΡ
ΠΛΕ ... ΣΕ ... ΝΤΑΤ



ΤΟΙΣΑΥΤ ...
ΔΕΠΙΔΕΧΟΜΕΝ ... ΚΑΝ
ΗΣΕΤΑΙΛΥΠΗΣΕΤ ... ΔΟΥ
ΟΥΜΕΝΟΣΕΚΤΩ ...
ΜΙΑΝΙΣΧΕΙ ΤΗ ... ΕΙ
ΕΙΝ ΟΔΑ ...
ΕΤΑΓΑΘΟΝΑΝ ... ΟΝ
ΑΣΝΗΤ ... ΡΟΝΟ ... ΑΛΛΟ
ΡΕΙΝΑ ... ΑΝΤ
ΑΧ ...

COL. I

Casanova dis e inc

Digitized by Google

COLUMNA I.

. . . . . ολβιῳ γινομενῳ, και ποσον χρονον δε ζησαντι το μεγιστον αγαθον απειληπται. Της δε κατα την ισοτητα αυτου, και την ὁμοειδειαν πορειας γινομενης, ἑως εις απειρον, ει δυνατον ειη, ῥιπταζειν οικειον εστιν; Αν δε παραγενηθ' ἡ ταυτης μεν ευδαιμονιας αφαιρεσις, ου γινεται της γεγονυιας καλυσιδεστης ετι μετουσιας αυτης · αλλ' ουδ' αφαιρεσιν. ειναι ταυτην εστησθε ο Πολυαινῳ και Μητροδωρῳ Επικουρος. . . . .

. . . . Ab homine divite facto, et qui temporis aliquantum vixit, summum bonum partum est. ¶ Cum autem comparatae sint divitiae conditioni, et ideis cujusque pares, quousque in infinitum, si fieri possit, projicere patrimonium licet? Quod si deficiat isthaec felicitas, minime quidem deficiet ipsa firma, et perpetua bonorum communio: sed nec Polyaeno, nec Metrodoro ullam rem defuisse sensit Epicurus. .

CAP. I.

Reprehensione digna est nimia augendi patrimonii cupiditas, quae nec finem, nec modum habet.

ADNOTATIONES.

Lin. 4. et seq. πορειας) Vox πορεια a verbo πορευω *iter facio*, *transeo* ducta, *viam*, *transitum*, *iter* denotat: sed heic, ut sententia postulare videtur, explicanda est *divitiae.* Quare omnino dicendum, πορειαν pro πορίαν, quam dictionem Lexica exponunt *facultatem*, *abundantiam*, ab amanuensi usurpatam fuisse: neque id mirum, cum in Voluminibus Herculanensibus non semel adbibeatur ει pro ι, et contra ι pro ει.

Lin. 6. ῥιπταζειν). Ita vocem mutilam supplendam censuimus, ut εις απειρον ῥιπταζειν idem sit, ac *in immensum spatium projicere*: quae quidem loquendi ratio translate ad augendi patrimonii infinitam cupiditatem accommodatur; licet haec translatio, ut verum fateamur, dura atque audax videatur. At considerare oportet, Philodemum hoc loco Epicuri φρασιν exprimere voluisse; qui in *Ratis Sententiis*, ut apud Laertium lib. 10. legimus, sic de divitiis loquitur: ὁ της φυσεως πλουτος και ὡρισται, και ευποριστος εστι· ὁ δε εκ των κενων δοξων, εις απειρον εκπιπτει· *divitiae, quas postulat natura, terminatae, et parabiles sunt: quae vero ex vanis opinionibus desiderantur, in immensum excidunt*, idest nullum finem, ac modum habent.

